

2709

H O M I L E T I C I

2710

illis ad exemplum Praecessorum *Ladislai Regis Boh. et Jobannis Marchionis Brandeb.* facultatem dat emendorum quorundam Censuum.

DCCXLVIII.

- 946 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XVI. Folior. 219. 8. manu, ut videtur, *Wenceslai Roffii Professorovini*, alias *Chrudimensis*, gnavi illius Sacerdotis Bohemi, cujus tot *Κτηματα* per hujus *Catalogi* decursum indicavimus, exaratus constat varia suppellectili homiletica sacris dictionibus per anni dominicos et festos dies opportuna, cui immorari operae pretium non foret.

DCCXLIX.

- 373 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc tantum 5. f. luculente scriptus, olim *monachorum sancte marie in bymerode Treuren. dioc. cisterciens. ordinis*, ut fol. 3. p. 2. notatur, incipit a Fragmento *Admonitionis* illius ad *Filiolum spiritualem*, quae olim *Basilio M.* tributa, verum graece nondum reperta, ab Editoribus *Opp. Maurianis* rejecta est in *append. T. II. Paris. 1722. p. 706. f.* et etiam ad calcem *Codicis Regular. Lucae Holstenii Paris. 1663. 4. p. 20.* extat. Orditur nobis a verbis: *continere festinat. Ambulans semper tumens ut uter uacuus et sicut navis absque gubernatore &c.* et abrumpitur in his: *ne deseras gratias agere cum perfeceris illud.*

Nec parum ab Editis variat. Vide *Cod. DCXXXVII.* et alias.

II. fol. 1. p. 2. sequitur: *Sermo Fulberti Episcopi in Natiuitate Sancte Marie.* Est is *Fulbertus*, five, ut scribit *Anonymus Mellic.* c. 93. *Folbertus* e Praeceptore Scholae *Carnotensis*, in qua et *Berengarium Turonens.* erudit, *Cancellarius* et *Episcopus* loci, qui an. 1028. in vivis supremum habuit. Opuscula ejus a *Carolo de Villiers Paris. 1608. 8.* edita inde in *T. XVIII. Bibl. PP. Lugd.* ad p. 1. migravere. Haec inter *Sermo* noster p. 38. legitur. Meminit ejus singillatim *Mellicensis* *supracit.* quin *Villerius* ex veteri *Annali Abbatiae S. Petri in Valle Carnotensi* inter alia haec verba recitat: *Multa scripta fecit (Fulbertus) ad laudem Virginis glorio-sae et inter caetera illam legendam quae legitur in nativitate ejusdem quae incipit: Approbatæ consuetudinis.* Et re ipsa *Sermo* hic in *Cod. nostro* in VIII. *Lectioes* distribuitur. Initium est: *Approbatæ consuetudinis est apud Christianos sanctorum patrum dies natalitios observare diligenter &c.* Verum, cum, ut dixi, in *Lectioes* distributus fit, in iis verbis abrumpitur: *nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Iuvat tamen vel eo usque indicare, quae ad genuinam *Textus* rationem *Codex* subpeditet. Omitunt Edita: *Ipsa conteret caput tuum*, quae particula tamen necessaria est; sequitur enim: *Quid est fratres in hoc loco serpentis caput conterere.* Prave habent: *sapientia dicit usque quaque malum pro*